

I. LITTERAE UNIVERSALES DE MONETA TERRARUM PRUSSIAE^a

^bSigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masouiae etc. dominus et heres^b. Universis et singulis principibus, tam spiritualibus quam saecularibus, reverendissimis ac reverendis in Christo patribus, dominis, archiepiscopis, episcopis ac eorum capitulis, necnon magnificis, generosis, nobilibus, famatis, et providis, palatinis, castellanis, capitaneis, tenutariis et^c quibusvis aliis dignitariis et officialibus et eorum vicesgerentibus, nobilibus, heredibus, advocatis, scultetis, civitatibus et oppidorum nostrorum et quorumcunque subditorum nostrorum magistris civium, consulibusque^d ac^e communitatibus et generaliter omnibus subditis nostris cuiuscunque status, conditionis et praeeminentiae existentibus in regno et terris nostris Prussiae et Masoviae ubilibet constitutis, ad quos praesentes litterae nostrae pervenerint et ad quorum notitiam versimiliter^f infrascriptum edictum perlatum fuerit, sincere et fidelibus nostris^g dilectis, salutem et gratiam nostram regiam.

Sincere et fideles dilecti. Manifestum vobis et cuilibet vestrum facimus per praesentes, quia Nos partim ipsi considerantes, partim per subditos nostros edocti, quae intrinsecus terras nostras Prussiae atterunt et exinanunt et vicinis quibusdam in vilipendium redigunt, ac ea sistere et frenare^h bonamque cautelam illis adhibere volentes, quibus stantibus etiam absque ullo externo hoste, facile ipse terrae nostrae Prussiae deficere ac in praeceps venire possint, simul ac, inter ea ipsa nobiscum reputantes plurima damna et incommoda subditorum nostrorum praedictas terras nostras Prussiae incolentium, quae in moneta earundem terrarum levi et a nonnullis propterea facile adulterata illis inferuntur, de voluntate matureque consilio et unanimi consensu illustris principis domini Alberti, marchionis Brandenburgensis in Prussiaⁱ etc. ducis^j, nepotis nostri charissimi, ac etiam reverendorum, magnificorum, generosorum, nobilium, praelatorum, baronum, palatinorum, castellanorum, succamerariorum, capitaneorum, officialium, ac totius nobilitatis nec non omnium consiliariorum nostrorum, tam regni quam terrarum Prussiae, ac etiam maiorum et minorum civitatum earundem, iampridem pro commodo et incremento omnium et singulorum^k officialium ac totius nobilitatis^j ad evitandum in casu monetae perpetuam iacturam et irrecoverabile damnum praedictarum terrarum Prussiae, id curandum suscepimus, ut nova moneta in grossis, solidis et denariis in valore et grano nostrae monetae Poloniae respondens cuderetur, quae tam in Prussia, quam in regno nostro, necnon ducatibus ac universis dominiis districtibusque nostris in usu esset, dandoque et percipiendo caperetur, omnibus peregrinis, exoticis, et adulterinis monetis, quibus terrae ipsae Prussiae pro maiori parte in non modicam earundem iacturam repletae et occupatae videbantur, penitus abrogatis et prohibitis.

Unde officinam nostram monetariam Thorunensem, non sine magno impendio et gravi dispendio nostro institutam eatenus promovimus ac diligenter ordinavimus, quod grossi, solidi et denarii partim iam sunt^k excusi, partim deinceps excudantur. Proinde ut usus novae istius monetae in regnum, ducatus, terras, districtus et populos nostros invehatur et in usum hominum inducatur, quaedam salubres ac pernecessariae^l constitutiones et ordinationes per praefatum ducem^m etc. nepotumⁿ nostrum ac consiliarios nostros tam de terrigenis quam de civitatibus terrarum Prussiae factae ac^o per nos approbatae et publicatae sunt. Quae tametsi hactenus per quaedam intercurrentia impedimenta effectum ac progressum suum non sunt sortite, nobis, dominiis ac subditis nostris notabilia incommoda damnaque non pauca accreverunt, quibus omnibus (sicuti merito debemus) auctoritate nostra regia et gratioso prospectu occurrere volentes et providere, ne deinceps aliquis (quicunque is fuerit) ignorantiam suam praetextens contra hoc mandatum ac edictum nostrum nobis, dominiis nostris ac populis, damna, gravamina ac iacturam subministrare audeat, aut contumaciter alia vel moneta vel marca, quam admissa, quovis modo uti aut prohibitam monetam

^a *W AT tytuł: Ordinatio de tollenda mala moneta et nova bona cudenda in Prussia. W MRPS, cz. IV, vol. 2, nr 15690, s. 384: Litterae universales regiae super nova moneta Pruthenica in grossis et denariis in valore et grano monetae Poloniae cudenda. W Dr. brak tytułu.* ^{b-b} Sig. etc. MK₂; Sigismundus, rex Poloniae, etc. AT. ^c ac AT. ^d consulibus AT.

^e ac aliis AT. ^f *Brak w AT.* ^g nobis AT. ^h frenare Dr. ⁱ⁻ⁱ ducis etc. AT. ^{j-j} dominiorum nostrorum, praesertim Dr., AT.

^k satis AT. ^l pernecessarias AT. ^m ducem in Prussia Dr., AT. ⁿ nepotem Dr., AT. ^o et AT.

in usum hominum inducere praesumat. Nos omnibus et singulis supradictis et praesertim hiis^p qui vendendo, emendo ac pertranseundo terris nostris utuntur, cuiuscunque conditionis et praecminentiae existentibus, iterum potestate et auctoritate nostra^q regia strictissime et severissime praecipientes mandamus, ut praesentem nostram ordinationem, constitutionem et mandatum firmiter observetis, atque, ut ab omnibus subditis nostris ubilibet inviolabiliter observetur diligenter curetis.

Inprimis autem et specialiter prohibitas esse volumus ac praesentibus inhibemus omnes peregrinas, exoticas ac adulterinas monetas, inter quas Swidnicensis (cuius nos usum dudum^r interdiximus) primas tenet, grossos quoque punctuatos, quos tippel *grosschen* vocant, nec non solidos Gedani^s novissime excussos, quae et qui, ut antea, ita nunc et deinceps iuxta prohibitionem priorem, penitus abrogatae^t et abrogati esse et in nullo usu permanere debebunt. Ita ut nemo ex subditis nostris aut etiam advenis in terris nostris alia moneta, quam nostra, quae in officinis nostris Cracoviensibus ac Thorunensibus, insuper illustris domini Alberti, marchionis Brandenburgensis in Prussia etc. ducis, nepotis nostri charissimi, necnon quarundam civitatum, quibus iuxta privilegia earum monetam in valore, grano, peciis, forma, effigie et numero aequalem cudere permissum est, officinis excudatur, grossis insuper et solidis Pruthenicis antiquis ante^u-felicis recordationis^u Frederici, magistri generalis, ac saepedicti moderni ducis in Prussia tempora percussis, tam in emptionis, venditionis^v quam in omnibus aliis contractibus et censibus^w uti audeat sub poenis infra descriptis.

Volumus praeterea et severissime^x mandamus, quatinus iuxta veterem terrarum Prussiae usum et consuetudinem omnes et singuli terrarum earundem tam incolae quam advenae, qui in ea negotiationes ac^y permutationes suas aliquae^z commercia agunt aut per eam proficiscuntur, numerum veteris consuetae marcae teneant, ut in emptionis, venditionis omnibusque aliis contractibus et censibus in marcā Pruthenicā viginti novi aut totidem antiqui ante^{aa}-felicis recordationis^{aa} Frederici, magistri generalis, tempora percussi et Polonici grossi, solidi praeterea novi sexaginta vel totidem antiqui (iuxta Culmensis privilegii tenorem) computentur, numerentur, dentur et recipiantur et tres solidi talem unum grossum et sex novi denarii solidum constituent. Grossi vero^{ab} illustrium Frederici^{ac}-felicis recordationis^{ac}, olim^{ad} magistri generalis, ac Alberti, moderni ducis in Prussia etc., similiter omnes antiqui denarii Pruthenici pro festo sanctae Trinitatis proximo, quae est duodecima dies mensis Junii, penitus et omnino prohibiti et abrogati esse debebunt. Ita tamen quod interea usque ad praefatum festum iam dicti grossi modo, qui sequitur, in usu et transitu maneat, ut per sedecim denarios novos per hoc tempus vel capiantur et dentur vel in officina monetaria tam per hoc tempus, quam deinceps permittentur. Similiter debet etiam cum antiquis denariis observari, qui tamen post festum sanctae Trinitatis praefatum in usu amplius esse non debebunt, sed dumtaxat in monetariam officinam deportari. Denarii autem antiqui, in terris Prussiae cussi^{ae} extunc debent in monetariis officinis vel districtibus ad hoc deputatis iuxta pondus tali modo permittari, ut, quantum pondus antiquorum denariorum quis attulerit, tantum pondus novorum denariorum vel eorum aequivalens in grossis et solidis ei reddatur^{af} et quod^{ag} huiusmodi grossi et denarii intra hinc a data praesentium et festum nativitatis Christi proximum in officinas monetarias deportentur. Nam post huius temporis expirationem praefectus^{ah} officinae monetariae vel eius vicesgerentes ulterius ad eorundem permutationem vel cambitionem^{ai} obligati esse non debebunt idque ab universis subditis nostris et advenis, cuiuscunque status et conditionis existant, inviolabiliter teneri et observari volumus et districtus mandamus, sub pecuniarum et mercium amissione, nec non centum florenum aureorum Ungaricalium^{aj} poena ab omnibus et singulis, qui contra hoc universale mandatum nostrum vel verbo vel facto venire praesumpserint, exigenda et irremissibiliter persolvenda. Si vero aliquis vel aliqui huiusmodi pecuniarum multam dare non possent, ille vel illi in corpore secundum dominii cognitionem puniri debent.

^p his AT. ^q Brak w Dr., AT. ^r Brak w AT. ^s Gdani AT. ^t abrogari AT. ^{u-u} fe. re. Dr.

^v venditionisque AT. ^w cedentibus Dr. ^x seuerissime Dr. ^y et AT. ^z aliaque Dr., AT.

^{aa-aa} fe. re. Dr., AT. ^{ab} quoque Dr., AT. ^{ac-ac} fe. re. Dr., felicitis rec. AT. ^{ad} Brak w Dr. ^{ae} cusi Dr., AT. ^{af} reddatur AT.

^{ag} ut AT. ^{ah} praefecti AT. ^{ai} cambiationem AT, cambicionem MK2. ^{aj} Vngaricalium Dr.

Proinde vobis episcopis ac eorum capitulis, palatinis, castellanis, succamerariis, capitaneis ac quoruncunque locorum officialibus et eorum vicesgerentibus, proconsulibus, consulibus, aliisque civitatum et oppidorum praefectis, in terris nostris ubilibet constitutis, severe praecipimus et mandamus, ut hoc nostrum decretum, mandatum et edictum in omnibus locis publicis, ad quae homines frequenter convenire solent, denunciari, proclamari et publicari faciat, ne quis ignorantiam praetendens, aliquid contra eam constitutionem, quod puniendum veniret, committat ac ^{ak}suprascriptas poenas^{ak} incurrat. Vos vero episcopi ac eorum capitula, palatini, castellani, succamerarii, capitanei et officiales tam spirituales quam saeculares ac eorum vicesgerentes, in custodiendo mandato nostro et pervestigandis locis omnibus, ne quis eandem prohibitionem ac edictum nostrum transgrediatur, curam et diligentiam adhibeatis et quosunque deprehenderitis vel in minima quaque re contra hanc ordinationem nostram excessisse vel egisse, illorum res iuxta praescriptum modum capiat, nec non huiusmodi inoboedientes personas obstringatis, ac apud vos usque ad informationem nostram detineatis sub poena centum florenorum Ungaricalium^{al} auri boni et iusti ponderis, totiens quotiens comperti et convicti fueritis, huiusmodi mandatum nostrum ^{am}transgressi esse^{am}, fisco nostro applicandorum. Simili severitate praecipientes mandamus vobis proconsulibus et consulibus maiorum et minorum civitatum, ne ullo pacto contra hoc mandatum et edictum nostrum quicquam attentetis aut permittatis, quod concives vestri^{an} attentent, contra vos de communitate proconsulibus et consulibus vestris id nequaquam facere admittatis, sub praefata, ac omnium privilegiorum vestrorum, iurium, liberatum, concessionum et quicquid^{ao} id genus est, quo aut vos communitas ipsa publice aut privatim quispiam gaudet, amissionis poena. Si vero aliqua earundem civitatum proprio ac temerario ausu in contemptum et levipensionem nostrae Regiae Maiestatis, potestatis, regalium superioritatis et mandati, contumax facta, ab observatione huiusmodi ordinationis nostrae recedere^{ap} et deficere praesumpserit^{aq}, hanc aliae sub praefata poena nequaquam sequantur, sed in observantia praefatarum constitutionum ac huius mandati nostri oboedienter perseverantes, nobis cum primis id significant; tunc^{ar} nos contra tales praevaricatrices^{as} et inoboedientes civitates sic nos vindice poena geremus, ut et ipse et alii in universum cognoscant, nobis earum inoboedientem contumaciam displicuisse, nec nos talia ulla via toleraturos, sed per omnem indignationem obviaturos.

Hoc mandatum ac edictum nostrum debet ubique in terris nostris Prussiae ab omnibus statibus et civitatibus simul eodem tempore pro die divi Stanislai, quae est octava dies mensis Maii huius anni proclamari, affigi et publicari, pro gratia nostra secus non facturi. Datum Cracoviae in generali conventu felicis coronationis serenissimi filii nostri domini Sigismundi secundi, feria secunda proxima post dominicam Invocavit. Anno Domini M^oD^oXXX^{oat} [7 III 1530], regni nostri anno^{au} vigesimo quarto. ^{av}Ad mandatum Regiae Maiestatis proprium^{av}.

II. REX POLONIAE NON DEBET ELIGI NISI VACANTE REGNO ET IN COMITIIS PER CONSILIARIOS INDICTIS^a

^bSigismundus, Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviaeque etc.^c Manifestum facimus^b universis^d, quia licet ^emos antiquus fuerit^e regni nostri, ut decedentibus regibus, et regno vacante domini consilarii status utriusque, capto invicem mutuo consilio, conventum electionis generalem statuerent^f et illum omnibus membris et

^{ak-ak} poenas suprascriptas *Dr.*, *AT.* ^{al} Vngaricalium *Dr.* ^{am-am} transgressisse *AT.* ^{an} Brak w *Dr.*, vri *AT.* ^{ao} quidquid *AT.* ^{ap} recidere *AT.* ^{aq} praesumpserit *Dr.*, *AT.* ^{ar} tum *AT.* ^{as} praevaricatores *AT.* ^{at} millesimo quingentesimo tricesimo *Dr.*, 1530 *AT.* ^{au} Brak w *MK2.* ^{av-av} Brak w *AT.*

^a Tekst oparty jest na oryginalne pergaminowym, przechowywanym w Archiwum Państwowym w Krakowie. Uwzględniono odmianki z *VL*, t. I, z edycji B. Gorczaka (*Sang.*), oraz z *AT.* ^{b-b} *VL*: Nos Sigismundus, manifestum facimus. W *AT*: Sigismundus primus, rex Poloniae etc. ^c W *Sang.* tytuł królewski brzmi: Dei gratia magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. dominus et haeres. ^d *VL*: per praesentes universis. ^{e-e} mos fuerit antiquus *VL*, *AT.* ^f statuerint *AT.*